Venia aetatis przez ieden Rok deffiut
5/1000 a przez więcey nad ieden, tam
7 1/2 od 1000 należy opłacić Taxe

3

CODEX CIVILIS PRO GALICIA OCCIDENTALI.

PARS I.

VIENNAE
Typis JOSEPHI HRASCHANZKY, Cæs. Reg.
Aulæ Typogr. Bibliop.

1797.

FRANCISCUS II. DEI GRAtia Electus Romanorum Imperator, semper Augustus, Rex Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Galiciæ & Lodomeriæ & Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ & Lotharingiæ, Magnus Dux Hetruriæ &c.

Quum sano & tranquillo civitatis statui congruum nihil magis & proficuum sit, quam ut ambitus, quousque pateant, & limites, quibus contineantur jura & obligationes uniuscujusque in alterum, adcurato & perfecto rite legum civilium codice definiantur, qua in re

pub-

publica civitatis ſecuritas conquieſcit, ut in uſu juris ſuo confirmatum ſeſe, in obeundis obligationibus adjutum, perſonarum & rerum jura contra injuſtam omnem & inlegitimam uſurpationem & adgreſſionem munita & defenſa unusquisque civium Noſtrorum eſſe intelligat; perſuaſi ſane & ipſa operis utilitate inducti fuimus, ut dilectos & fideles Galiciæ Noſtræ occidentalis ſubditos publici hujus beneficii, quam maturrime fieri potuit, participes redderemus.

Itaque Galiciæ Noſtræ occidentali codicem legum civilium eum in finem promulgamus, ut a prima die Januarii anni MDCCXCVIII., a qua ſcilicet die vim codici ei publicam & efficaciam tribuimus, unusquisque obſervare eundem, actus ſuos eidem in omni vitæ ſuæ ci-

vilis

vilis ordine adtemperare, contractus inire, juſſa & diſpoſitiones ſuas inter vivos aut mortis cauſſa conſtabilire, jure ſuo uti, frui, obligationibus ſuis ſatisfacere, omnesque res & negotia ſua conſentaneo & conſequenti ordine pertractare, jus ſuum quærere & impetrare, ipſa vero tribunalia jus in cauſſis controverſis & litigioſis dicere & juſtitiam adminiſtrare ſciant, habito ab eadem prima Januarii die nullo amplius reſpectu legum & conſuetudinum, quæ hactenus in Galicia occidentali exſtitere, quatenus eæ caput aliquod & argumentum juris civilis adtingunt; quas leges & conſuetudines cum fine Decembris anni MDCCXCVII. abolitas, antiquatas & inefficaces impoſterum declaramus. Quum vero codicem hunc in linquam polonicam & latinam transferri juſſimus, declaramus ſimul & volumus, ut, ſiquod dubium in verſione ea & ambiguitas cum argumento codicis germanico præter ex-

ſpec-

ſpectationem ſe offuderit, typus germanicus pro archetypo & baſi reſpiciatur.

Dabamus in palatio Noſtro Viennæ Auſtriæ die 13. Februarii anni MDCCXCVII. Regni Noſtri anno quinto.

FRANCISCUS.

(L.S.)

Procopius Comes à Lazanzki
Reg^{is} Boh^{iæ} Sup^{us} & A. A. pr^{mus} Canc^{ius}

Ad Mandatum Sacræ Cæs^{o}.
Regiæ Majeſtatis proprium.
Johannes Fidelis Erggelet.

INDEX

PARS. I.

CA-

CAPUT I.

De Jure & Lege.

§. 1.

Jus eſt, quidquid bonum rectumve eſt in ſeſe, bonum rectumve continet, producit, & ſalutem communem promovet.

§. 2.

Ex eo, quod jus eſt, regulæ fiunt, quibus vita hominum dirigitur, actus & officia præſcribuntur.

§. 3.

Jus alioquin duplici ſenſu accipitur: Aut regula eſt, quæ, quod jus eſt, præcipit, aut libera agendi facultas uniuscujusque hominis, ubi actus ſuos & officia ad hanc regulam dirigit.

§. 4.

Jura & officia aut ſola natura humana continentur, & ſunt naturalia & ingenita; aut in ſocietate hominum ſita ſunt, & poſitiva, hoc eſt, ab ipſa ſocietate enata jura, & officia adpellantur.

§. 5.

Qui inter ſe coeunt certis regulis & præceptis ad finem aliquem communem conjuncti, ſocietas ſunt.

§. 6.

Civitas eſt ſocietas certi finis cauſſa, hominum naturæ conſentanei, & immutabilis, communi ſub Imperante conjuncta & unita.

§. 7.

Finis hic non eſt niſi totius civitatis ſalus, quæ eſt perſonarum, rerum, & jurium uniuscujusque ſecuritas.

§. 8.

Præcepta ad finem hunc neceſſaria ab ſummo civitatis Imperante proficiſcuntur: leges adpellantur.

§. 9.

Compendium legum omnium, quibus mutua incolarum civitatis jura, & officia finiuntur, jus civile privatum conſtituit; id, quod codice hoc Galiciæ præcipitur.

§. 10.

Lex promulgatione rite facta vim & effectum obtinet. Promulgatio ea legumlatori curæ eſt.

§. 11.

Uniuscujusque civis officium eſt noſſe leges; lege enim rite & recepto cujusvis provinciæ more promulgata, excuſari nemo poteſt ignorantia legis.

§. 12.

Diem, qua lex obliget, præfinit legislator, die præfinita nulla, lex a promulgatione vigere incipit. Ab hoc aut illo tempore actus civium legitimi, aut inlegitimi utiles ipsis, aut perniciosi lege esse incipiunt.

§. 13.

Unusquisque civium, nulla habita ratione ordinis, conditionis, generis, salutem publicam, fidelissima legum reverentia & obsequio promovere tenetur.

§. 14.

Peregrini etiam & advenae, qui in Galicia morantur, legibus iisdem obligantur, nisi peculiari aliquo modo lege solvantur.

§. 15.

Incolæ provinciæ hujus in iis quoque actibus & negotiis, quos, quæque in provinciis exteris egerint, legibus his eatenus obligantur, quoad personæ agentis facul-

tas

tas ab iis circumſcribitur, & quatenus hi actus, & hæc negotia in hac quoque provincia effectum aliquem civilem ſortiantur.

§. 16.

Actus & negotia exterorum in hac, aut in exteris provinciis exercita, ſi in hac provincia in litem venerint, legibus hiſce judicantur, niſi forte ratione temporis & loci actus & negotii exerciti aliud jus eſſe probetur.

§. 17.

Vis legis retrograda eſſe nequit: promulgata futuros actus & caſus deſtinat; præteritos, & jura ante quæſita non tangit, niſi ſi cui jus lege antea addictum, nondum quæſitum nova lege tollatur, quo caſu ſimul ad id ipſum jus perſonæ habilitas tollitur.

§. 18.

Lex omnis alio ſenſu neque interpretanda, neque exercenda eſt, quam quem

ipſa legis verba, propria ſermonis, quo conſcripta eſt, ſignificatione accepta, nexus eorum aut evidens latoris in perferenda lege ratio præ ſe fert.

§. 19.

Quodſi cauſſa in foro exſiſtat, ipſo legis carmine non definita, judex ſententiam ſuam ſano legis ſenſui, cognatarum legum rationi, & ſimilium cauſſarum certa aliqua lege finitarum conſenſui adtemperet, oportet: manente dubia nihilominus re cauſſave, momenta omnia & rationes, quæ rem circumſtant, ſedulo & adcurate conquirat, expendat, rem cauſſamve ad principia juris generalia & naturalia dijudicet.

§. 20.

Lex eo usque viget, dum non abrogatur.

§. 21.

Non nisi latoris legis est, legem authentice & pro norma publica interpretari, coarctare, mutare, abrogare.

§. 22.

Receptus locorum mos & usus interpretandæ legi idoneus ab judice prætereundus non est; sed legem ipsam tollere, aut novam fundare nequit.

§. 23.

Particulare provinciae unius, regionis, aut universitatis jus, seu statuta, quoad privata civium jura, vi legis destituuntur, nisi a lege communi deflexio expresse indulta sit.

§. 24.

Mandatum, decretum in re singulari, & latæ judicis in caussa controversa sententiæ vim legis non habent, neque in patrocinium aut subsidium alterius vocari possunt.

§. 25.

Regulæ & conſtitutiones ſocietatum minorum, legibus civilibus non contrariæ, contractuum ſimilitudine ratæ ſunto.

§. 26.

Ratione jurium, quibus utuntur homines, perſonæ ſunt; jura ſiquidem hominibus, non rebus propria ſunt.

§. 27.

Quum vero juris exercitium vel perſonas inter ſeſe, non res, vel res ſolummodo, & non perſonas, vel certas perſonas certasve res ſimul reſpiciat, conſequens eſt, ut ſint jura perſonarum & rerum, jura rerum autem vel jus in re, vel jus ad rem conſtituant. Ab his initiis jus civile in tres partes dirimitur.

C A-

CAPUT II.

De jure perſonarum.

§. 28.

Societas civilis neque officia naturae humanæ conſentanea, neque jura inde enata tollit, ſed ea promovendæ ſaluti communi modo aliquo & certo fine circumſcribit.

§. 29.

Jura hominum innata præcipua ſunt, jus vitam conſervandi, res vitæ neceſſarias comparandi, corporis & animi facultates excolendi, ſe ſuaque defendendi, exiſtimationem & famam tuendi, rebus ſuis pro ſuo arbitrio libere utendi.

§. 30.

Cujus est liberum rei suae utendae arbitrium, ejus & est juris sui alteri cedendi, voluntatisque suae hac in re declarandae, hoc est promissionis rite faciendae, factaeve aut rei alterius acceptandae, ideoque conventionis mutuo consensu ineundae.

§. 31.

Neque haec jura hominum naturalia societate civili immutantur; quidquid enim jure hoc fas est homini uni, alteri nefas esse non potest, & quod nefas est uni homini, alteri fas esse nequit.

§. 32.

Alia est quaesiti juris ratio, quod ipso adquirendi modo differt. Unde fortunarum aliorumve adventitiorum jurium inaequalitas & discrimen aliquod inevitabile, immo necessarium est.

§. 33.

Ex ipsa hac inaequalitate summum societatis civilis bonum elucet, ut omnes

om-

omnium voluntates viresque conjunctæ & copulatæ infirmitatem a vi, innocentiam a potentia defendant, ingenitaque & quæſita jura omnia tueantur & ſecura reddant.

§. 34.

Jus lege aut natura datum remedia complectitur, quibus exerceatur in ſocietate civili uſus juris nulla lege circumſcripti liberrimus; eaque conditio civilis eſt, ut nullius jus aut juris uſus perturbetur, infringatur, pervertatur.

§. 35.

Cui detrimentum in re ſua ſeu damnum illatum eſt, ei actio ad id ſarciendum in auctorem datur: neque ea in actione intereſt, dolo & ex propoſito, ſeu culpa & negligentia damnum datum fuerit.

§. 36.

Jus ſuum manu, aut vi adſerere nefas eſto; vis enim privata publicam tollit ſecuritatem. Conſequens eſt, ut, qui ſe læſum in jure ſuo exiſtimat, jus ſuum lege

ge perſequatur, quod eſt actionem juris ſui coram judice competente inſtituere.

§. 37.

Cauſſæ controverſæ principis quoque & civium de privata re hujus enatæ coram judice competente lege ad hanc rem definito dijudicantor.

§. 38.

Singuli ſub legum tutela & cuſtodia ſunt; neceſſe eſt, ut ſingulis juris via pateat, ſiqua decreta & mandata contra legem juri ſingulorum privato officere videantur.

§. 39.

Deciſiones & ſententiæ absque legitimo judiciario ordine latæ, quæ & arbitria adpellantur, irritæ ſunto.

§. 40.

In facto perraro & repentino, cui judicis præſens eſſe auxilium, & damnum illatum reparari nulla ratione poteſt, ma-

nu

nu ſe ſe adſerere, id eſt, inculpata juris naturalis tutela uti fas eſto.

§. 41.

Quod juri naturali & ingenito conſentaneum eſt, verum & ratum eſto, dum jus illud modo legitimo nullo circumſcribi probetur; conſequens eſt, ut, qui jura ſibi adſerit, quibus jus alterius imminuitur, aut quæ actu, facto, eventu fundantur, id, quod adſtruit, imprimis comprobet, argumenta juris ſui demonſtret.

§. 42.

Qui aut ætate, aut vitio corporis animique rebus ipſi ſuis ſupereſſe nequeunt, peculiari legum ſub tutela ſunt; veluti infantes, qui ſeptimum, impuberes, qui quartum decimum, minores, qui quartum & viceſimum ætatis ſuæ annum nondum adimpleverunt, furioſi, mente capti, hebetes, qui vel ratione omni ſpoliati aut certe incapaces ſunt actuum ſuorum effec-

tus

tus futuros intelligendi, prodigi, quibus rei ſuæ geſtionem judex edicto ademit.

§. 43.

Naſcituri item a tempore conceptionis legum tutela gaudent: nam quum de ſolo ipſorum, non alterius jure quæritur, pro natis habentur.

§. 44.

Si dubium ſit, partus vivus, an mortuus utero exierit, vivus exiſſe jure præſumitur, niſi contrarium ab allegante evincitur.

§. 45.

Abſens a republica, de cujus vita aut morte ambigitur, tum demum mortuus eſſe cenſetur, ſi octuageſimum ætatis annum attigerit, & decem noviſſimis vitæ ſuæ annis publice latuerit.

§. 46.

Quodſi per continuos triginta annos abfuerit, neque ejus domicilium innotuerit; liberum eſt iis, quorum intereſt, ſententiam mor-

mortis declaratoriam civis abſentis a judice nulla habita ætatis ejus ratione exquirere.

§. 47.

Siquis latens aut abſens in navi tempore naufragii, in bello graviter vulneratus, aut in alio quovis imminenti mortis periculo fuiſſe probetur, neque ulla perveſtigatione inveniri poſſit; integrum eſt judici, poſt duos, ad ſummum tres annos mortuum eum pronunciare.

§. 48.

Si quæſtio ſit, uter duorum aut plurium mortuorum hominum prior vita deceſſerit, adſerentis eſt, theſin ſuam probare: ſi non fecerit, jure omnes uno eodemque tempore vita ceſſiſſe cenſentur, neque de transferendo in alterum jure alterius quæri poteſt.

§. 49.

Jura ſingularia uni hominum ordini, ceu minoribus, lege conceſſa, beneficia

juris

juris ſunt; quæ ab legum latore uni homini aut univerſitati indulgentur, privilegia adpellantur.

§. 50.

Beneficia juris juribus, quæ in ſocietate civili integra manent, contraria non ſunt; privilegia quidem a lege deviant, & reliquorum jura minuunt, nec tamen niſi juſtis rationibus & fini omnium communi aptis conceduntur.

§. 51.

Privilegia falſo prætextu, diſſimulatione & fuco veritatis ſubrepta, aut alteri damnoſa, jure inrita ſunto.

§. 52.

Privilegia certæ perſonæ, rei, muneri, qualitati propria, aut ad certum tempus, finem, & certa cum conditione conceſſa cum ipſa perſona, re, munere, qualitate, tempore, atque etiam ceſſante fine, aut non ſervata conditione exſtinguuntur.

§. 53.

§. 53.

Privilegium nullum facit, qui de privilegio ſuo expreſſa voluntate decedit; quæ tamen de privilegio deceſſio a ſólo privilegii non uſu nequaquam inferri poteſt.

§. 54.

Convictus coram judice de doloſo privilegii abuſu ipſo privilegio excidit.

§. 55.

Quod jus eſt civi, jus eſt alienigenis, quibus, dum legum tutelæ non indigni fiunt, jura cum civibus indigenis æqua ita ſunto, ut probent ſuam ipſorum patriam civibus hujatibus eadem ac propriis ſubditis jura concedere: quodſi contrarium ſit, jus reciprocum exercetur & ſimiles cauſſæ apud judicem inſtitutæ ſupremo juſtitiæ tribunali demonſtrandæ ſunt.

§. 56.

Alienigena ſuſcepti in publica re muneris, commercii & opificii cauſſa, juſta

fundi ſeu boni immobilis poſſeſſione, decennali continuo incolatu, in tribum adoptione, inſtituta operum & mercium manu factarum officina aut quavis alia ratione certum in provincia figendæ ſedis animum declarans civium noſtrorum jure & numero habetor.

§. 57.

Quatenus jus hoc in judæos aliosque homines non chriſtianos cadat, legibus politicis definitur.

C A-

CAPUT III.

De
jure connubii.

§. 58.

Respublica matrimoniis continuatur, quæ ſunt maris & feminæ conjunctio legitime contracta, ſive mutuus & legitimus utriusque conſenſus ineundi omnis vitæ conſortii, liberos procreandi & educandi, ſeſeque in vicem adjuvandi.

§. 59.

Sponſalia, ſeu mentio & repromiſſio futurarum nuptiarum ſub quibuscunque circumſtantiis aut conditionibus facta nec ad nuptias ineundas, nec ad præſtandum

id, quod in casum repudii stipulatum est, obligationem civilem inducunt.

§. 60.

Integrum tamen esto ei, qui caussam repudii justam nullam dederit, ad sarciendum damnum repudio datum & demonstratum agere.

§. 61.

Jura & obligationes connubii ipso legitimae conjunctionis fine, lege positiva, & pactis finiuntur. Officium, fides & fidelitas conjugum mutua sunt.

§. 62.

Vir caput est familiae: viri praeprimis est, rem familiarem regere & procurare, uxorem pro dignitate & censu suo alere, in omnibus caussis defendere.

§. 63.

Uxor in nomen & dignitatem mariti adsciscitur, virum sequi, in negotiis, re familiari & domestica pro virili parte ad-

ju-

juvare, rem communem ope mutua & obſequio promovere tenetur.

§. 64.

Perſonæ uſu rationis deſtitutæ vel maturi conſilii incapaces, deliberati & legitimi voluntatis ſuæ adſenſus incapaces etiam ſunt. Hinc furioſi, mente capti, ingenio hebetes, infantes, impuberes matrimonium legitime contrahere non poſſunt.

§. 65.

Adſenſus contrahendi matrimonii vi metuque data opera extortus, aut errore ſubſtantiali in ſponſo ſponſave doloſe ſubreptus, aut ab rapta perſona priſtinæ libertati ſuæ necdum reſtituta datus, inritus & ſine ullo civili effectu eſt.

§. 66.

Marito, qui matrimonio jam contracto uxorem ab alio gravidam repererit, actio matrimonii non rati competit. Quodſi nulla habita ratione deprehenſæ & ſibi

non ignoratæ graviditatis matrimonium conſummaverit, jure actionis inriti matrimonii ſe ipſum evertit. Eodem jure vir ſe evertit, qui viduam ante undecimum viduitatis menſem, gravidam poſtea cognitam, duxerit.

§. 67.

Ceteri omnes veri aut ſpecioſi conjugum errores jura contracti matrimonii convellere nequeunt. Sponſi ſponſæve intereſt, in contrahendo matrimonio prudenter omnia circumſpicere, aut vero, ut ſperatæ vel pactæ conditiones ſerventur, exſpectare.

§. 68.

Impotentia inter impedimenta matrimonii naturalia eſt, ſi ipſo in actu initi contractus matrimonii jam exſtiterit. Momentanea, atque etiam poſt nuptias contracta quamvis inſanabilis impotentia juſti connubii vinculum non tollit.

§. 69.

§. 69.

Vir una muliere, mulier uno viro contenta esto. Secunda vota facturus facturave dissolutionem prioris connubii jure & lege ostendito.

§. 70.

Cognatorum ascendentium & descendentium, fratrum sororumve, sive sint germani, uterini, consanguineive connubia nulla omnino sunto; quod impedimentum cognationis & fratrum sororumve filios filiasve, atque etiam transversos propiorum graduum cognatos attingit, sive sint legimi sive naturales.

§. 71.

Maritus & uxor jure connubii una eademque persona esse finguntur. Consequens est, ut soluto connubio neque vir cognatum uxoris, neque uxor cognatum mariti tali interdicto gradu ducere possit. At diversorum conjugis alterutrius cognatorum, si inter se comparentur, adfinitas

nulla eſt, neque ullum hac in re impedimentum.

§. 72.

Contracta chriſtianorum civium cum non chriſtianis matrimonia ipſo jure nulla ſunt.

§. 73.

Clerico catholico in majoribus ordinibus conſtituto, aut ſolemnibus votis adſtricto matrimonium contrahere jure nefas eſto.

§. 74.

Connubia adulterorum patrato inter ſe adulterio ipſo jure inlicita & nulla ſunt, ſi commiſſum adulterium aut ſententia judicis, aut juſtis indiciis ante contractum matrimonium comprobetur.

§. 75.

Qui quæve etiam non commiſſo ante adulterio nuptias ſibi repromiſerint, ad easque efficiendas ſociato aut ſecreto conſilio vitæ conjugis ſibi inviſi inviſæve deli-

libe-

liberata mente & voluntate insidiati fuerint, quamvis patratum facinus non fuerit, matrimonium justum contrahere nullo modo possunt.

§. 76.

Minores, majoresque, quibus aliqua de caussa contrahendi legitime facultas ademta est, sine consensu patris, aut mortuo hoc, paterni avi, aut mortuo patre & avo, sine consensu curatoris & judicis competentis connubium legitime inire non possunt.

§. 77.

Consensu negato, & repulsa læsis jus est opem & tutelam judicis competentis implorare.

§. 78.

Census parcus nec sufficiens, mali mores comprobati aut notorii, morbus contagiosus partis ejus, cum qua matrimonium destinatur, justæ sunt caussæ mi-

noribus denegandi conſenſum ineundi matrimonii.

§. 79.

Militi absque ſcripta legionis, cohortisve ſuæ, aut certe præfecti ſuperioris ſui venia matrimonium inire fas nec eſto.

§. 80.

Libero ab his impedimentis unicuique connubii jus eſto. Sed quum varia ejusmodi impedimenta incognita eſſe poſſint, rei vero publicæ plurimi interſit connubia legitime contrahi, requiritur, juſta ut ſint, publica maritandorum proclamatio, & ſolemnis hierologia eccleſiaſtica, ſive copulatio.

§. 81.

Proclamatio eſt publica denunciatio futuri matrimonii, ſponſi ſponſæve nominis, cognominis, gentis, ordinis & domicilii declaratio tribus diebus dominicis aut feſtis pro concione in eccleſia facienda. Ubi intra ſextum menſem ab ul-

tima

tima proclamatione matrimonium ipſum ſacra initiatione ſeu copulatione abſolutum non fuerit, terna ea proclamatio eo magis repetenda eſt, quo nova eo intervallo impedimenta emergere potuere.

§. 82.

Si ſponſus, ſponſave in loco, ubi copulationem perficere inſtituerint, per tres exactos menſes nedum habitaverint; ipſa nuptiarum proclamatio ſimul in loco, ubi ambo vel alteruter diutius antea habitaverunt, pro more habetor.

§. 83.

Copulatio, ſive ſacra matrimonii initiatio a loci curato, ſive is parochus, paſtor, popa, aut alio nomine vocetur, aut ab ejus vicario coram duobus teſtibus inſtituitur.

§. 84.

Catholicarum cum acatholicis matrimonia a parocho catholico initianda ſunt,

cui

cui actui ſolemni, petente altera parte, paſtori acatholico intereſſe fas eſto.

§. 85.

Quodſi ſponſus ſponſave teſtimonium peractæ rite proclamationis, aut milites & minores legitimam ineundi matrimonii veniam ſcripto non exhibuerint, aut enatum aliquod aliunde impedimentum oſtendatur; parocho & paſtori ſacra initia præbere gravi ſub culpa nefas eſto, quoad neceſſaria teſtimonia adferantur, atque omne impedimentum e medio tollatur.

§. 86.

Ut perpetuum & efficax in futurum initi connubii monumentum & argumentum exſtet, actus ipſe contracti matrimonii libris initiorum, quos copulationum matriculas adpellant, a parocho cum cura inſcribitor, expreſſo nomine, cognomine, conditione conjugum & teſtium, non omiſſa initiorum ſeu copulationis die,

ad-

adſcriptoque curati nomine, qui initiis his præfuit.

§. 87.

Graviorum rationum momenta ad tollenda aliqua matrimonii impedimenta equidem valere poſſunt: ipſa vero a lege ſolutio ſive diſpenſatio ſummæ legum latoris poteſtati reſervatur.

§. 88.

Quodſi contracto jam matrimonio incompertum antea, ſed ſolubile matrimonii impedimentum innoteſcat, conjugibus liberum eſto aut per ſemet ipſos, aut parochi opera, proprio etiam nomine ſuppreſſo, a provinciæ poteſtate politica ſolutionem a lege, ſive diſpenſationem petere, continuo & ſine ambage concedendam.

§. 89.

Urgente gravi cauſſa politicæ in metropoli uniuscujusque provinciæ poteſtati, in municipiis autem vel ruri circulari

præfecturæ jus & poteſtas eſto, alteram & tertiam maritandorum pro concione proclamationem condonandi, interpoſito deſponſorum jurejurando ignorantiæ ullius vel minimi in contrahendo matrimonio impedimenti.

§. 90.

Re urgente, interpoſito eo jurejurando, prima quoque proclamatio a politica poteſtate & circulari præfectura condonari, & ubi ob comprobatum inſtans vitæ periculum res moram nullam ferat, præſtito eo jurejurando copulatio ſola præfecturæ loci auctoritate inſtitui poterit.

§. 91.

Adſpirantibus ad ſacra matrimonii initia ſeu copulationem perſonis jam antea communi opinione maritatis æque trina proclamatio condonari omnino poteſt. Quo caſu etiam non addito adſpirantium nomine condonandam proclamatio-

tionem a politica provinciæ poteſtate petere parocho liceto.

§. 92.

Divortia fieri & matrimonia diſſolvi neque civitatis, neque liberorum matrimonio comparatorum non minimum non intereſt. Conjugibus nec fas, nec jus eſto, utut bona gratia, & mutuo conſenſu diſcedant, proprio jure abs ſeſe divertere, quamvis adſerta contractus nullitate, aut ſublato penitus ipſorum ſponte contractu legitimo, aut ſola denique ſecretione a menſa & thoro inſtituta.

§. 93.

Nullum efficit matrimonium impedimentum ipſo contrahendi matrimonii tempore & ſcilicet copulationis exſiſtens. Adſerta tali nullitate cauſſa ad fori nobilium tribunal promovetor, & ſine conſueto proceſſu ex officio quæſita dijudicator.

§. 94.

§. 94.

Matrimonium ratum esse semper jure præconcipitur. Adsertum inde impedimentum probationibus plene evincendum est, nulla habita conjugum alterutrius confessionis, aut oblati jurisjurandi ratione.

§. 95.

Hujusmodi in caussis, siquando enascantur, officium est fori nobilium tribunalis virum aliquem bonum, rei peritum & neutri parti obnoxium delegare, qui momenta caussæ sedulo conquirat, expendat, & connubii jura defendat, quod jurium matrimonii patrocinium & fisci procuratori demandari potest.

§. 96.

Qui quæve errorem in persona substantialem non ignoraverit, alterum alteramve metu coegerit, minorem ætatem aut militiam celaverit, ei divortii actio ex proprio ipsius doloso & inlegitimo facto nulla datur.

§. 97.

§. 97.

Jus actionis penes partem læſam & innoxiam eſt; quod idem jus perimitur, ſi cognito errore, expleta alterius conjugis majori ætate, finita ejus militia connubium ultro continuatur.

§. 98.

Solutio impedimenti, quod tolli poteſt, ſeu diſpenſatio ſine mora expetenda: Obſtinatis ad divortium conjugibus, aut exſiſtente, quod vinci non poteſt, impedimento, decretoria judicii ſententia eſto.

§. 99.

Impotentia exercendi matrimonii præcedens & continua, ut ſententia judicis definiatur, a rerum peritis, medicis expertis, chirurgis, & pro re nata ab obſtetricibus examinanda & comprobanda eſt.

§. 100.

Signis externis ſi dignoſci non queat, an impotentia temporaria ſit, vel permanens, conjuges per tres adhuc annos cohabitanto: durante integro hoc triennio impotentia, contractum matrimonium irritum & ſolutum eſto.

§. 101.

Mota quæſtione divortii ſi oſtendatur, uni alterive aut utrique conjugi cognitum jam antea matrimonii impedimentum, ſed ſponte & deliberata voluntate celatum fuiſſe, conjux uxorve pro ratione delicti commiſſi puniuntur, data parti innoxiæ facultate petendæ reſarcitionis damni. Liberi forte tali matrimonio comparati procurantor lege ea, quæ ſequenti capite de jure parentum & liberorum præfinita eſt.

§. 102.

Matrimonii inter catholicos rite contracti vinculum morte ſola unius alteri-

usve conjugis ſolvitur. Idem jus eſto matrimonii inter catholicos cum acatholicis promiſcui & legitime contracti.

§. 103.

Separatio a menſa & thoro, conſentiente parte utraque, non ſine provida rei circumſpectione, & in contradictorio juſtis rationibus parti læſæ conceditor.

§. 104.

Conjuges ſtabilitis mutuo conſenſu divortii, ſive ſeparationis a menſa & thoro conditionibus, conſilium ſuum abs ſeſe diſcedendi, ejusque conſilii rationes parocho ſuo renuncianto.

§. 105.

Parochi eſt conjuges promiſſæ in ſacro initiorum matrimonii ſeu copulationis actu fidei mutuæ, & contracti vinculi admonere, damnosa propoſitæ ſeparationis effecta ſerio & identidem inculcare. Repetitis ter & fruſtra conſumtis admonitionibus, ſcriptum conjugibus teſtimo-

nium tenacis & nulla ratione pervictæ amborum in ſeparando ſeſe voluntatis tradito.

§. 106.

Hoc teſtimonio inſtructi conjuges ambo in foro ſuo coram judice ſe ſiſtant, & ſeparationis petitionem ſcripto inſtituant. Judex non quæſitis ſeparationis rationibus nec conditionibus ſeparationem dato, eamque in actis judicii adnotato. Si liberi ſint conjugibus ita ſeparatis, ex præſcripto ſequentis capitis illos procurato.

§. 107.

Diſſentiente a divortio menſæ thorive parte una, petente id juſtis ex cauſſis altera, præmittendæ neceſſario ſunt juſtæ & prudentes parochi admonitiones; quibus inutiliter adhibitis, aut recuſante parte rea comparere coram parocho, actio tota teſtimonio parochi & neceſſariis probationibus inſtructa in competente judicio inſtitu-

ſtituenda , cauſſaque , uti cauſſæ reliquæ omnes, in foro dijudicanda eſt.

§. 108.

Divortium a menſa thorove, petente conjuge uno, quamvis diſſentiente altero, conceditor: primo ſi adulterium ab uno alterove conjuge commiſſum fuerit; ſecundo, ſi conjux conjugem dereliquerit, & decreto judicis, ubi de domicilio conſtat, aut edicto publico, ubi domicilium ignoratur, citatus intra annum unum non comparuerit; tertio, ſi conjux a conjuge male & inhumane habeatur, vita, ſanitas, magna fortunarum pars, aut boni ejus mores malo exemplo in diſcrimen ponantur.

§. 109.

His principiis, quibus catholici menſa thorove ſejunguntur, vera apud non catholicos divortia fieri poſſunt, quæ tamen ex præſcripto legum, quibus actio-

nem irriti & invalidi matrimonii fundari ſupra demonſtratum eſt, peragenda ſunt.

§. 110.

Sejunctis menſa thorove fas eſt, proprio arbitrio iterum conjungi. Quod ſi facta conjunctione rurſus ſeparari velint, ea, quæ in prima ſeparatione præſcripta ſunt, obſervanto. At facto pro religione ſua vero non catholicorum divortio, ſiqui ſejuncti conjungi iterum cupiunt, conjunctio hæc quaſi novum matrimonium cum omnibus primi matrimonii cærimoniis denuo contrahenda eſt.

§. 111.

Sejunctis non catholicis itaque permittitur ad novas nuptias tranſire; cum iis vero connubium inire fas non eſto, qui adulterio, inſtigatione, aut quocunque nefario modo anſam divortio præbuere.

§. 112.

Feminae a marito ſejunctae, aut morte mariti viduae non licet ſecunda vota ſuſcipere, quatenus dubium aliquod graviditatis ex priori connubio ſupereſſe potuerit. Negligentia legis hujus conſequens matrimonium inritum equidem non reddit; at mulieri legifragae jura omnia a priori marito ſibi tradita pereunt.

§. 113.

Exorta per divortium inter conjuges controverſia reſpectu pacti alicujus, rei dividundae, alendorum liberorum, aut aliarum inter ipſos rationum, ſi tentata fruſtra compoſitione ex aequo tranſigi & dirimi nequiverit, actione ſolita coram competente judice perſequenda ipſis relinquitor; liberis alimenta decernuntor.

CAPUT IV.

De jure parentum & liberorum.

§. 114.

Liberi in matrimonio procreati familia ſunt & nova ſocietas, cum qua nova jura & officia exſiſtunt.

§. 115.

Parentes procreando liberos ea ſimul officia contrahunt, ut illos educent, hoc eſt, enutriant, veſtiant, alant, vitæ illorum & ſanitati invigilent, corporis & animi facultates efforment, ſalubrique religi-

ligionis & utilium cognitionum doctrina felicitati illorum profpiciant.

§. 116.

Natura ipfa hæc officia continentur, quæ parentes in contrahendo matrimonio manu & ore fpondentes & ftipulantes facro initiorum actu feu copulatione civitati præftanda in fe receperunt.

§. 117.

Hinc jus parentum oritur, quæ liberis facienda omittendaque fint, communi arbitrio regendi. Jus hoc, quum pater caput fit familiæ, patria eft poteftas, quod invalefcente liberorum intellectu & humanæ rationis ufu fenfim imminuitur.

§. 118.

Patris eft præcipue liberos fuftentare, dum ipfi per femet ipfos alere fe poffint. Corporis & fanitatis cura matri cencredita eft.

§. 119.

Mortuo patre aut inopi, cura & ſuſtentatio familiæ matri incumbit, quæ ſi moritur aut egena eſt, cura eadem ad avos paternos, & mortuis his, ad avos maternos aſcendit.

§. 120.

Quæ parentes liberis debent, ad ea liberis jus ſine controverſia eſt. Nomen patris, arma gentilitia, & reliqua gentis ſuæ & dignitatis jura liberi merito ſibi vindicant.

§. 121.

Parentibus a liberis pietas & reverentia, obſequium & obedientia æqua & juſta in re debetur. Contrariis parentum ſententiis & praceptis, patri tanquam principi & ſocietatis domeſticæ capiti obediunto.

§. 122.

Minores & ſub patria poteſtate filii filiæve ſine expreſſo aut tacito patris conſenſu obligare ſe valide non poſſunt.

§. 123.

Parentibus jus non eſto liberorum matrimonia cogere; at vero liberi etiam majores contracto parentum ingratiis, aut inſciis ipſis matrimonio inreverentes & refractarii ſunt. Quod ſi rationum momenta reprobati a parentibus matrimonii gravia eſſe judex cenſeat, matrimonia equidem ipſa rata ſunto, at integrum parentibus eſto pervicaces liberos renunciatæ quaſi ac contemtæ parentum tutelæ & opis arguere, præſtitis certe, queis carere non poſſunt, alimentis.

§. 124.

Patri fas non eſt liberos ad ineundam vitæ rationem aliquam ſive vocationem vi cogere. Impuberes equidem hac in re ſub patria ſunt poteſtate, ſed fas eſt

pu-

puberi filio optatam ſibi & facultati ſuæ convenientem vitæ rationem demonſtrare, denegatoque patris conſenſu, expleto anno duodeviceſimo, auxilium judicis ſui competentis implorare.

§. 125.

Jus eſt parentibus liberorum perſonam gerere, amiſſos perveſtigare undequaque & conquirere, fugitivos repetere & publica auctoritate comprehendere, inobedientes, refractarios, pacis & quietis domeſticæ perturbatores pœnis adtemperatis, non nimiis, corpori & ſanitati innoxiis caſtigare.

§. 126.

Immoderatum & impotens patriæ poteſtatis exercitium ſive abuſus non a liberis tantum hac poteſtate læſis, ſed ab unoquoque, cui innotuerit, judici denunciari poteſt. Judex cauſſam cognitam prudenter, & pro rei ratione componito.

§. 127.

§. 127.

Bona minorum a matre, cognatis aut alio quovis legitimo modo adepta & quæſita judex tueatur, pater curato.

§. 128.

Fructus bonorum talium, quoad ſatis eſt, educatione impendantur, relicto pauculo compendio patris arbitrio; quodſi reſidua compendii ſumma annuos educationis ſumtus exſuperet, pater eam fœnori reponito, rationem capitis & fœnoris reddito.

§. 129.

Pater adminiſtrandis adventitiis & quæſitis minorum liberorum ſuorum bonis oppido & manifeſte non idoneus, aut a bonorum curatione excluſus ab iis, a quibus bona ea liberis ſuis obvenerint, curator minorum ſuorum nec eſto; judex curatorem bonis alium dato.

§. 130.

Curæ & impenſæ in educationem liberorum inſumtæ ad officia parentum pertinent, & nullum parentibus jus in rem pecuniamve liberorum poſtea & aliunde quæſitam aut comparatam tribuunt. Parentes pauperes aut avos liberi & nepotes decenter alunto.

§. 131.

Jus hactenus finitum conjugibus & liberis legitimis competit: inlegitimorum jura neque juſto connubio, neque copulatione, ſed procreatione ſola nituntur; conſequitur, ut neque eandem vim aut tenorem eundem obtineant.

§. 132.

Liberi ſeptimo poſt copulationem, aut decimo a morte mariti vel divortio menſe juſta conjuge nati legitimi ſunto; prius poſteriusve nati inlegitimi jure præſumuntur.

§. 133.

Præjudicium hoc legis probatio contraria, imo & pater dirimit, ſi partum præmaturum ſuum eſſe non contradicat; tardior partus ſolo expertorum conſilio, ſingulari foetus & parientis habitu & qualitate, ac penitiori cauſſarum tam inſolentis caſus indagine veroſimilis & humanæ naturæ non abludens eſſe pervincendus eſt.

§. 134.

Libera matris confeſſio patrati adulterii aut editi partus inlegitimi partum ipſum inlegitimum reddere non poteſt. Quod ſi vir partum uxoris non agnoſcat; tum vero naturalem patratae a ſemet impraegnationis & generationis impoſſibilitatem rationibus comprobato.

§. 135.

Liberi extra matrimonium nati ſubſequente matrimonio in familiam parentum adſciſcuntur, fiuntque una cum po-

ſteris

ſteris ſuis legitimi; at liberis ex juſto matrimonio interea procreatis neque primum naſcendi ordinem, aut alia jura jam quæſita contradicere, aut uſurpare ſibi poſſunt.

§. 136.

Liberi ex inrito & invalido matrimonio ſuscepti legitimi ſunt, ſi uni ſaltem parenti inculpata dirimentis impedimenti ignorantia faverit; ſed a bonis, ſiqua liberis ex legitimo & valido matrimonio procreatis pactis familiarum expreſſe deſtinantur, jure arcentur.

§. 137.

Legitimatio favore & gratia legislatoris conceſſa ſolo reſpectu parentum, qui adſentiunt, nullo gentilium & agnatorum effectum habet; parentes ipſi non niſi eatenus adſentire legitimationi poſſunt, quatenus quæritur de jure, quod filio filiæve quamvis non legitimatæ tradere potuiſſent.

§. 138.

Liberi inlegitimi jure omni familiarum & cognationis privantur, & neque nomen gentis, neque arma, neque dignitatem patris ſibi vindicant, ſolo maternæ gentis nomine contenti; atqui eo magis respublica illos tueri, & naturalia illorum jura ſarta tecta conſervare debet.

§. 139.

Filio filiæve inlegitimis jus eſto a parentibus pro ratione facultatum ſuarum alimenta, educationem & inſtitutionem poſcere, neque iſthæc naſcendi conditio aut famæ, aut futuris vitæ ſuæ rationibus fraudi eſto.

§. 140.

Quum jura inlegitimorum non contractu matrimonii, ſed ſola procreatione nitantur, procreatio autem parentes omnes tanquam genitores ſine dubio obliget; nihil intereſt, an juſtum inter parentes matrimonium intercedere, nec ne,

impedimenta, ſiqua forte oberant, ſolvi aut non ſolvi potuerint.

§. 141.

Pater præcipue ad alendam prolem inlegitimam obligatur; patre tenui & egente, obligatio matri cedit.

§. 142.

Quo gravior & difficilior parentum culpa liberorum inlegitimorum conditio eſt, eo magis parentes obligantur conſulere illis & proſpicere: qui ſcilicet non ignoratis matrimonii impedimentis legitimationem liberis ipſi ſuis difficilem aut impoſſibilem reddidere: pater, qui filium non agnoſcit: mater, quæ patrem falſo nominat.

§. 143.

Pater prolem inlegitimam ſponte agnoſcens, ſi id petat, celatur, & ad præſtandas tantum alimentorum & educationis impenſas legitimas obligatur.

§. 144.

§. 144.

Prolem non agnoſcens pater duplum impenſarum; triplum, ſi ſolubile; quadruplum, ſi indiſſolubile inter parentes matrimonii impedimentum interceſſerit, pendito.

§. 145.

Prolem inlegitimam, quam mater educare velit & poſſit, a matre abducere fas non eſto; attamen alimenta pater præſtato.

§. 146.

Quodſi ſalus & incolumitas prolis materna educatione periclitetur, prolem pater a matre abducito, ſecum habeto aut alio quovis loco ſecure & decenter collocato.

§. 147.

Ceterum liberum eſto parentibus futuram inlegitimæ prolis ſuæ conditionem & ſtatum inter ſe communi conſilio arbitrari & componere, ſalva lege, ut pater

educationem & inſtitutionem ſumtu ſuo juſte expleat.

§. 148.

Obligatio liberis inlegitimis proſpiciendi res eſt credita aut creditæ ſimilis; conſequens eſt, ut morte parentum ad hæredes tranſeat obligatio tales liberos modo ſupra definito curandi & collocandi.

§. 149.

Rite & ex præſcripto codicis judiciarii convictus in judicio, aut confeſſus extra judicium, quin & jactator ſtrupri matri ſexto vel decimo ante partum menſe oblati, pater eſſe jure præſumitur.

§. 150.

Nomen patris denunciante matre libro baptismali ſeu nativitatum ſimpliciter inſcriptum probationem plenam non efficit, niſi patris voluntas teſtimonio parochi & patrini una cum clauſula addita,

pro-

probe notam ſibi eſſe patris ejus perſonam, adfuiſſe confirmetur.

§. 151.

Matri in corruptorem actio damni duitor: ſi patrem falſo nominet, pro rei circumſtantia punitor.

§. 152.

Patria poteſtas durat, dum pater vivit & liberi minores ſunt; expleto liberorum quarto & viceſimo anno ceſſat, niſi pater minoritatem continuari ab judice petat, legitime impetret, impetratamque rite declaret.

§. 153.

Minoritatem continuari pater ab judice jure petit, ſi filius filiave ſuſtentandi ſui ipſius incapax ſit, ſi contracto gravi ære alieno aut culpa in ſe admiſſa patriæ tutelæ ſeu opi excidiſſe videatur.

§. 154.

Liberi ante annum viceſimum quartum patria poteſtate exeunt, ſi pater bono

consilio, adprobante judice, expressis verbis eos manumittat: si filio viginti annos nato propriam gerendam rem, committat: si filiam collocet.

§. 155.

Si pater usum rationis humanae amittat: si prodigus declaretur: aut spatio majore quam unius anni ob delictum ad vincula publica condemnetur, patria potestas exstinguitur: sublatis his impedimentis, si liberi majores nondum sint, jura patria reviviscunt.

§. 156.

Qui sustentationem & educationem liberorum omnino negligunt, patriam potestatem omnem amittunto.

§. 157.

Viri feminaequae solemnibus ad caelibem vitam votis non obstricti, legitimis liberis orbi, in locum liberorum alienos adsciscere, id est, adoptare possunt. Qui adsciscit, pater est adoptivus aut mater

adop-

adoptiva: adſciti ſunt adoptitii ſeu liberi adoptati. Jura & obligationes adoptionum jure pactorum finiuntur.

§. 158.

Pater adoptivus aut mater adoptiva quinquaginta annis majores ſunto: filius filiave adoptitia annis minimum duodeviginti adoptivis parentibus minor eſto.

§. 159.

Pactum ejusmodi ſine conſenſu parentum naturalium adoptitii adoptitiæve fieri nequit, & ut valeat, ad utrumque judicem tam parentum adoptivorum, quam liberorum adoptandorum deferendum & judicii actis inſerendum eſt.

§. 160.

Si filius filiave adoptitia in nomen & familiam parentum plebejorum tranſit, conſenſus & adprobatio a poteſtate provinciæ politica impetranda eſt: nobilitas & arma gentilitia parentum adoptivorum particulari legislatoris favore in adopti-

tios adoptitiasve transeunt, qui favor parti utrique pro regula est, absque ulla alterius fraude.

§. 161.

Adoptio liberis adoptivis paternæ cognationis jura nec tribuit, nec sui ipsorum familiæ propria adimit.

§. 162.

Jura & obligationes parentum & liberorum adoptivorum iis, qui humanitatis & curationis gratia adsciscuntur, non prosunt. Officium hoc humanitatis & curationis libertati & arbitrio uniuscujusque relinquitur, & si pacto contrahatur, legibus non contrario, pacto standum est.

§. 163.

Si vir mulierve, quibus priori utrinque ex matrimonio liberi sint, matrimonium inter se contrahant, & pacto inito suos diversorum matrimoniorum liberos jure hæreditatis exæquent, communio fit liberorum, quæ hactenus rata esto, quatenus

tenus de bonis liberis ſeu de re libera agitur, & omnes, quorum intereſt, conſenſu mutuo, aut legitima auctoritate in judicio adjuti pactum firmarint.

CAPUT V.

De tutelis & curatelis.

§. 164.

Civem unumquemque, cui pater non eſt aut non prodeſt, minorem, aut alia de cauſſa inhabilem rei gerendæ ſuæ, leges tutorem aut curatorem dando tuentur.

§. 165.

Tutor perſonam & jura perſonæ inprimis tuetur; curator bona & rem familiarem curat.

§. 166.

Judex minoris competens tutorem dato ex officio, ſine mora & cunctatione, nullo discrimine, legitimi, an inlegitimi ſint liberi, quibus tutor datur.

§. 167.

Enato itaque caſu, qui tutoris officium requirat, cognati minoris & conjuncti, intentata ipſis reprehenſione, obligantur, caſum e veſtigio competenti judici demonſtrare; atque etiam poteſtates politicæ, ſacri & profani communitatum antiſtites caſus tales obſervare, & pro re nata denunciare debent.

§. 168.

Tutores renunciari poſſunt non niſi ii, qui rebus omnibus ad munus hoc neceſſariis inſtructi ſunt. Qui aut per ætatem aut vitio animi corporisve rebus ipſi ſuis ſupereſſe nequeunt, aut delicti damnati ſunt, officium tutoris ſuſcipere non poſſunt.

§. 169.

Feminæ, ſacri ordinis homines, peregrini tutelæ inhabiles ſunt. Quos pater expreſſis verbis a tutela arcuerit, eo ipſo jam a tutela ea arcentur.

§. 170.

Tutela certa neque iis demandanda eſt, quibus cum tuendo minore eadem religio non eſt, qui cum parentibus minoris aut cum ipſo minore inimicitias geſſerint, qui cum minore vel in lite jam verſantur, vel in litem ob rem creditam, nedum perſolutam incidere poſſunt.

§. 171.

Judicii tutorii homines, & ii, qui in tuendi minoris provincia aut omnino non degunt, aut anno plus abeſſe coguntur, ſuſcipiendæ tutelæ inhabiles jure ſunto.

§. 172.

Sacri homines, milites, aliique publico in munere ſeu officio poſiti inviti tutores non ſunto.

§. 173.

Civi ſeptuagenario, aut cui quinque liberi vel nepotes educandi ſunt, aut qui gravi una & laborioſa tutela, aut tutelis tribus levioribus jam diſtinetur, alia & nova tutela ingratiis ſuis non imponitor; quodſi beneficio legis renunciaverit, eodem amplius non utitor.

§. 174.

Tutela cauſſis §. §. 168. 169. 170. & 171. recenſitis non impedita debetur præprimis illi, quem pater teſtamento aut alio quovis modo conceptis verbis tutorem pronunciaverit.

§. 175.

Si mater aut alius quivis legata minori hæreditatis parte tutorem ſimul nominaverit, tutor nominatus non niſi legatæ hæreditatis curator eſto.

§. 176.

Pronunciato a patre tutore nullo aut inhabili, tutela cognato alicui minoris,

&

& primo loco avo paterno, tum matri, dein aviæ paternæ, tandem cognato proximiori, natu majori, & viro demandator.

§. 177.

Quodſi tutela modo ſupra præfinito inſtitui & decerni haud poterit, prudentiæ judicis relinquitur, quem virum potiſſimum habita ratione ordinis, habilitatis & facultatum ejus, atque poſſeſſionis præcipue tutorem nominet.

§. 178.

Tutori renunciato judex dies quatuordecim præfinito, quibus tutelam ex ordine ſuſcipiat, quod tempus pro rationum gravitate prorogari etiam poterit.

§. 179.

Si res poſtulet, ut, qui per ſe judicio non ſubeſt, tutor renuncietur, renunciatio ipſa literis ad judicem ejus competentem ſcriptis ſeu requiſitoriis fiat; ſuſcep-

cepta ſemel tutela reſpectu ipſius tutelæ judicio tutorio ſubeſt.

§. 180.

Si tutor renunciatus huic oneri impa- rem ſe, aut lege ſolutum credat, ſpatio dierum quatuordecim judici ſuo compe- tenti rem patefaciat, quam is ſuis ratio- nibus & momentis inſtructam judicio tu- torio decidendam transmittat.

§. 181.

Qui ſuam ipſius ad tutelam inhabili- tatem ſibi probe cognitam celaverit, aut ſi judex ſciens tutorem non idoneum no- minaverit, damnum inde emergens, & fructuum jacturam alteruter minori reſti- tuito.

§. 182.

Similis actio damni contra eum eſt, qui nulla cauſſa idonea tutelam ſubterfu- git; atque is inſuper mulcta aliqua pe- cuniaria apta, atque etiam carcere, ſi

res

res poſcat, ad ſuſcipiendam tutelam cogitor.

§. 183.

Tutelæ munus non niſi datum a legitimo judice ſuſcipi legitime poteſt. Qui tutelam ſibi gerendam ipſe adrogaverit, damnum inde enatum minori omne rependito.

§. 184.

Tutor, niſi ſit avus, mater aut avia, in ſuſcipienda tutela ſtipulata manu promittito, ſuum ſeſe pupillum ad probitatis, religionis & virtutis doctrinam inſtituturum, civem illum bonum & utilem efformaturum, vicem ejus in judicio & extra judicium geſturum, bona ejus diligenter & cum fide procuraturum, legibus hac in re pleniſſime obſecuturum eſſe.

§. 185.

Tutori ita obligato judex inſtrumentum publicum tradito, quo in exercenda tutela caſu quovis id flagitante fidem pub-

licam

licam faciat. Idem ſolemne inſtrumentum cum adpoſitis omnis tutelæ officiis tutori avo, matri aut aviæ traditor.

§. 186.

Judicia tutoria commentarios ſive indices tutelarum omnium conficiunto, quibus pronomina & cognomina gentilitia ætasque minoris, & quidquid in ſuſcepta, geſta & finita tutela memoratu dignum acciderit, inſerantur.

§. 187.

Probationes & documenta his commentariis notata eo rerum ordine indicanda ſunt, quo & judici & pupillo ſui juris facto, quidquid ſcitu neceſſarium & utile ipſis fuerit, ſine ambage & clare perſpiciatur.

§. 188.

Quemadmodum nominatus a patre tutor non perſonæ tantum, ſed rebus etiam pupilli præficitur, ita & nominatus a patre rei curator perſonæ quoque implicita

patris voluntate datus esse præsumitur. Quodsi non omnibus liberis tutorem pater, aut non universæ rei curatorem designaverit, judicis est, reliquis liberis tutorem, & reliquæ bonorum parti curatorem dare.

§. 189.

Si plures nominati sint tutores, aut omnes simul bona minoris, aut singuli partem aliquam bonorum administranto, sed judex personam minoris & præcipuam rei gestionem uni tantum demandato.

§. 190.

Matri & aviæ tutelam suscipienti contutor dandus est præprimis is, qui declarata patris voluntate, tum qui consilio tutricis, denique qui cognatione minoris innuitur.

§. 191.

Officium est contutoris tuendo minori pro sortis necessitudine & parte sua prospicere, quod & promittere, & tutrici, præ-

præſertim id petenti, conſilio ſuo adeſſe debet. Quodſi vitium aut gravem aliquem errorem animadvertat, remedium errori vitiove adhibere ſatagat, aut, ſi uſus ſit, rem judici tutorio patefaciat.

§. 192.

Alterum eſt & non minus grave contutoris munus, ut in rebus negotiisve forte gerendis, ad quorum juſtum effectum judicii tutorii adſenſus requiritur, petitioni a tutrice judici exhibendæ una ſubſcribat, atque etiam interrogatus a judice conſilium ſuum de re negotiove & mentem aperiat.

§. 193.

Contutor perfunctus his officiis ab omni alia reddenda ratione liber eſto. Quodſi demandatam ſibi pupilli rem procurandam ſimul ſuſceperit, munus & officium curatoris una in ſe recepit, ejusque rei cauſſa judex ipſi publicum fidei inſtrumentum, ſive diploma tradito.

§. 194.

Tutori in minorem omnia patris munia, non jura ſunt. Quidquid providus & cordatus pater in educando filio filiave facere conſuevit, tutor minori ſuo præſtato; minorem ſponte ſua in aliam provinciam vel regionem non ablegato; gravem aliquam rerum aut ſtatus converſionem in eum non ſtatuito; judicem tutorium interrogato, conſenſum ejus & præcepta impetrato.

§. 195.

Minor tuendus tutori obſequium & reverentiam duito; læſus forte immodico tutelæ exercitio apud propinquiores cognatos aut coram judice conqueritor; eo & tutor de pupillo conquerens confugito.

§. 196.

Perſona pupilli matri inprimis, etiamſi tutelam non ſuſceperit, aut ad altera vota tranſierit, demandator, niſi forte

prosperitas minoris rationem diversam requirat.

§. 197.

Judicii tutorii est summam in sustentando minore erogandam definire, habito consilii tutoris, testamenti seu voluntatis patriæ, bonorum, conditionis, aliarumque pupilli rationum respectu.

§. 198.

Si fructus bonorum sustentando minori non sufficiant, quod deest, ex ipso capite decerpi quidem poterit; tum vero præcipua tutoris cura esto, ut jactura hac necessaria utilis aliqua vitæ ratio et status minori comparetur.

§. 199.

Pupillos pauperes cognati divites jure alant; horum penuria restat tutori pia stipendia, & publica pauperum beneficia adspirare, dum minor suo se labore & studio alere possit.

§. 200.

Judex tutorius, ſimul ac pupillum tueri incipit, bona ejus conquirito, obſignatione, inventario & facta æſtimatione in tuto & extra periculum ponito.

§. 201.

Obſignatio pro re nata ſupellectilem ſub ſigno publico adſervat. Inventarium ſeu repertorium eſt rerum omnium hæreditariarum, minori pertinentium, legitima deſcriptio, in quo conficiendo neque indulgentia & contraria patris voluntas aut cujuscunque teſtatoris reſpicienda eſt.

§. 202.

Deſcriptio bonorum atque æſtimatio ſine mora, atque etiam pro re nata ante inſtitutum tutorem facienda eſt. Inventarium ad acta ſucceſſionis redigatur, communicato cum tutore ejus exemplo; æſtimatio ſi ſtatim aut ſine gravi ſumtu fieri non poteſt, reſpectu bonorum non mobilium aut differenda, aut ſi pretium ho-

rum alia ratione palam ſit, omnino prætermittenda eſt.

§. 203.

Si bonum immobile ſeu fundus minoris in alia vel aliena provincia ſint, judex tutorius deſcriptionem & æſtimationem ejusque deſcriptionis & æſtimationis communicationem a judice competente alterius aut alienæ provinciæ requiſito, ipſi judici deſignationem curatoris ſeu boni adminiſtratoris relinquito.

§. 204.

Si bonum in eadem provincia, ſed alio ſub judice ſit, judici quidem huic jura bonum id reſpicientia atque ea de cauſſa inventarii confectio pertinent; ſed quæſitus a judice tutorio exemplum inventarii huic transduito, liberam boni adminiſtrationem tutori relinquito, omni jurisdictione tutelæ abſtineto.

§. 205.

Res mobiles, quæ, ut perpetuo maneant, in fundo ſunt, pars fundi ſunt; reliquæ res mobiles, æris crediti ſive alieni chirographa, pecuniæ fundi pignoratitiæ, in fundum adſcriptæ & in tabulas relatæ, perſonæ minöris pertinent, & ad judicium tutorium ſpectant.

§. 206.

Tutor ſive curator ſuſceptam pupilli rem vice diligentis & cauti patrisfamilias adminiſtrato, damnum ſua culpa datum ſarcito.

§. 207.

Gemmæ & res pretioſæ, ſcripturæ & documenta gravia & ponderoſa, chirographa æris crediti & alieni cuſtodiæ judicis; gemmarum deſcriptio, chirographorum & ſcripturarum neceſſaria tutelæ exempla tutori traduntor.

§. 208.

Pecuniæ tantum tutori relinquitor, quantum exercendæ tutelaris curæ in re minoris domeſtica & familiari ſat eſt; reſiduum ſolvendo, ſi forte ſit, æri alieno impenditor, aut ſi non alio uſui, fœnori certe reponitor.

§. 209.

Reliqua mobilis res neque proprio minoris, neque alii uſui apta ſub haſta venditor; quæ matri aut cohæredi placuerit ſupellex, pretio in judicio æſtimato ſine haſta matri & cohæredi traditor; quæ ſub haſta emtorem ſeu ſectorem non invenerit, a tutore pretio etiam minore, quam quo æſtimata fuerit, adſentiente judice tutorio, diſtrahitor.

§. 210.

Bona minoris immobilia jure alienari nequeunt, niſi id præſens neceſſitas, aut evidens emolumentum, non ſine judicis tutorii adſenſu, ſuadeat.

§. 211.

In ſumma tutor in rebus negotiisve, quæ ſolitam rei pupillaris domeſticam & familiaris geſtionem non attinent, & majoris ſunt momenti, ſine conſenſu judicis nihil omnino agito; hæreditatem propria auctoritate ſine conditione nec cernito, nec repudiato; fundum aut pretioſam rem mobilem per ſe non emito; pecuniam tuto & cum pignore locatam non renunciato aut alteri cedito; gravem litem nullam tranſigito; officinam nullam ſeu fabricam, commercium, opificium nullum inſtituito, continuato vel finito.

§. 212.

Quum tutori per ſe nullum pecuniarum minoris ſui caput repoſcere & renunciare, aut ſolutum acceptum referre fas ſit; ſi cui caput aliquod renunciatum fuerit, pro ſua ipſius cautione, quid hac in re judex edixerit, a tutore exquirat, edictumque oſtendi ſibi faciat,

ne-

neque in præſtanda capitis ſolutione ſola tutoris apocha contentus eſto: liberum quoque debitori eſto, ſolvendum caput ipſi judici repræſentare.

§. 213.

Si mutuum concreditum alteri pecuniæ caput, rei minoris pertinens, exigendum ſit, tutor id judici prius oſtendito, quo judex ad reponendum cum fructu caput rationem aliquam inire poſſit.

§. 214.

Aes minori debitum inſtrumentis & ſcripturis non ſatis cautum tutor, quantum fieri id poteſt, caveri, aut conſtituto ſolitionis die exigi faciat: ſi periculum ſit; ſecurius & ſine mora actiones codice judiciario datas avertendi ejus periculi cauſſa inſtituito.

§. 215.

Tutor bona pupilli ex præſcripto legis diligenter & adcurate procurans, & geſtæ adminiſtrationis concreditæ ſibi rei

con-

conſtituta die rationem cum fide reddens, a ſatisdatione præſtanda eximitor.

§. 216.

Tutor certe & curator ad habendam concreditæ ſibi tuendæ & curandæ rei, & reddendam rationem obligatur. Teſtator equidem a reddenda ratione legati ſpontanei & non officioſi tutorem liberare poteſt; idem & judici tutorio integrum eſt, ſi fructus patrimonii minoris educationis & ſuſtentationis impenſas vix exſuperent; at bona & pecuniarum capita inventario deſcripta tutor ſeu curator juſtis rationibus demonſtrato, ſtatum & conditionem minoris edoceto.

§. 217.

Singulis annis, ad ſummum quatuordecim menſibus calculi & rationes documentis & argumentis ſuis plene inſtructæ judici tutorio traduntor, acceptum & impenſum, incrementum & defectus in capite clare oſtenditor. Si mercaturæ & com-

commercii geſtio in parte bonorum minoris ſit, tutor legitima calculorum & rationum computatione & æqua ex lance comparatione, quam bilanciam vocant, ſecreto habenda, judici ſatisfacito.

§. 218.

Si res & patrimonium pupilli in diverſis provinciis exſiſtat, ſoli tutori demandatum; tutor ſingularem in ſingulas provincias patrimonii geſti rationem ipſius provinciæ judici exhibeto; ceterum fas eſto tutori, reſiduos bonorum minoris fructus unius provinciæ in alia utiliter impendere.

§. 219.

Judicium tutorium calculos & rationes tutoris pro norma uniuscujusque provinciæ a rei & rationum peritis examinari & abſolvi curato, tutorem rei totius & declarationis ſuæ certiorem reddito.

§. 220.

§. 220.

Si tutor declaratione judicis injunctæ ſibi reſtitutionis damni, vel petitione aliqua negata læſum ſe reputet, ſuperiorem judicem adire ſeu recurrere integrum ſibi eſto.

§. 221.

Tutori exercita recte tutela fraudi non eſto. Quidquid de ſuo in ſumtus minoris utiliter erogaverit vel impenderit, jure repetito.

§. 222.

Neglectum ſi quidquam in rationum computatione, ſive erratum fuerit; nec tutori, nec minori fraudi eſto.

§. 223.

Minor neque actor, neque reus in judicio ſiſti poteſt; tutoris eſt perſonam minoris in judicio agere, aut patrono agendam committere.

§. 224.

Fas eſt quidem minori, modo legibus non inlicito, inconſulto tutore adquirere, ſed ſine expreſſo tutoris conſenſu de ſuo neque alienare quidquam, neque obligare ſe poteſt.

§. 225.

Si minor ſine tutoris conſenſu munus vel officium, commercium aut opificium ſuſceperit, aut ſervitio ſe ſe dederit, tutor ſine gravi cauſſa illum ab inita vitæ ratione, ante præſtitutum lege diem, non avocato: quidquid hoc aut illo modo labore ſuo adquiſiverit, ſicuti rebus uſui ſuo ſibi traditis, libere utitor, & ſi volet, eatenus ſe obligato.

§. 226.

Liberum eſt judicio tutorio, minori annum viceſſimum egreſſo compendium omne fructui patrimonii ſeu reſiduum adminiſtrandum & utendum tradere, qua in

re

re uſui ſuo concredita minor legitime obligare ſe ſe poteſt.

§. 227.

Actus inlegitimi & contra legem exerciti, fraus & dolus malus minorem a lege non tuentur; quidquid peccaverit & contra legem fecerit, in id & perſona & re obſtrictus & obligatus eſt.

§. 228.

Tutela morte vel majore ætate finitur. Tutore mortuo aut amoto alius e legum præſcripto deſignator.

§. 229.

Major ætas initio anni viceſimi quinti e lege completur; judici tutorio fas tamen & poteſtas eſt, prævio conſilio tutoris, & propinquiorum fere cognatorum, minori vicenni veniam ætatis dare, & majorem eum renunciare.

§. 230.

§. 230.

Integrum quoque eſt judici tutorio eodem conſilio momentum majoris ætatis infinite prorogare, ſi mente captus aut hebes minor, aut publice prodigus a judice renunciandus ſit.

§. 231.

Tutorem judex quandoque ex officio, alias quæſitus ab tutela removet.

§. 232.

Ex officio tutor a munere amovetur, ſi incapax tutelæ declaretur, aut ſi dubia in eum cadant, quæ ipſa lege a tutela excluſiſſe illum videantur.

§. 233.

Tutor a teſtatore ad tempus certum inſtitutus, aut certo futuro caſu excluſus, finito tempore aut caſu nato dimittitor.

§. 234.

Matri ad altera vota transiturae tutelae munus adimito judex, nisi si ipsa aut maritus ejus rem minoris satis det.

§. 235.

Negligentiam tutoris in obeundo munere suo, si cognati minoris animadvertant, judici demonstrent: judex quaesita caussa negligentiam punito, damnum culpa sua datum sarcire jubeto.

§. 236.

Quodsi nulla poenae habita ratione in negligentia perstet, aut suspicionem lucri sordidi & dolosi praebeat: tutor ex sententia judicis ab officio jure amovetor, & pro ratione culpae mulctator.

§. 237.

Tutor missionem, si volet, a munere petito, si tutela durante incidant caussae, quae eum lege ipsa a suscipienda tutela arcere aut liberare potuissent.

§. 238.

Si cui opinione & præſumtione proximæ cum minore cognationis tutela demandata fuerit, liberum eſt ei equidem, cognatum aliquem propinquiorem, poſtea cognitum, non inidoneum in vicem ſuam offerre; ſed proximiori huic cognato fas non eſt tutorem cognatum remotiorem, idoneum cogere ad tradendam ſibi tutelam.

§. 239.

At mater fraterve minoris, qui quæve tempore inſtitutæ tutelæ in minori ætate conſtituti erant, majores facti, tutelæ munus poſtulare & ad ſe revocare poſſunt, quod & aliis cognatis, ſi tutelam judex extraneo demandaverit, jus & fas eſto.

§. 240.

Maritus tutelam uxoris minoris, pater adoptivus filii filiæve ſuſcipere poſ-

ſunt, ſi res minoris tutela tali non periclitetur, nec pactum aliquod obſtet.

§. 241.

Tutor probatæ fidei finito demum tutelæ anno, a quo ſucceſſor ejus rem pupilli adminiſtrandam ſuſceperit, tutelæ munus deponere rite poteſt; quodſi fidem ſuam dubiam & ſuſpectam fecerit, judex ſine tergiverſatione, atque omni conatu & ratione rem pupilli ſalvam, ſartam, tectam conſervato.

§. 242.

Finita tutela officium tutoris, aut mortuo hoc, hæredis hæredumve ejus eſt, rem minoris integram, ſi majorem jam ætatem attigerit, aut ipſi, aut pro re nata hæredibus ejus, aut ſi major nondum ſit, deſignato novo tutori tradere, rei traditæ & acceptæ apocham ſeu chirographum referre, idque judici legitime oſtendere. Deſcriptio bonorum omnium rite facta ſeu inventarium & an-

nuæ

nuæ adminiſtratæ rei rationes & computationes tradendæ traditæve rei regula, & norma ſunto.

§. 243.

Tutor ſecundo ad ſummum menſe a finita tutela finem ſeu epilogum rationum ſuarum & calculorum judici tradito: judex tutori comprobatis & expeditis rationibus ejus apocham univerſalem, libertatem a ſatisdatione, & abſolutionem muneris, probe & diligenter functi, duito.

§. 244.

Quoad momentum aliquod exercitæ tutelæ, & adminiſtratæ minoris rei explicandum, diluendum & reſpondendum reſtat, apocha univerſalis & abſolutio tutori neganda, aut punctum ſaltem controverſum & non dilutum inſerendum his inſtrumentis & reſervandum eſt. Utroque caſu dies præfinienda, qua partes, conciliata interim nulla controverſæ rei

compoſitione, actionem ſuam coram judice inſtituant.

§. 245.

Atqui conceſſa ſine conditione & clauſula abſolutione, nihil obſtat, quin fraus & malus dolus tutoris poſtea & ſero compertus coram judice exagitetur.

§. 246.

Tutor propria tantum culpa, non culpa officialium ſuorum obſtrictus tenetur; quodſi ſponte homines non idoneos legerit, in officio ſeu munere retinuerit, aut damnum ab iis datum non repetiverit, tutor ſua ipſius negligentia damno cavendo obligatur.

§. 247.

Adſeſſores judicii tutorii officii ſui cum damno minoris negligentes negligentia ſua & quocunque inlegitimo facto damni tenentur, & ſi alia nulla reſtitutionis ratio ſit, damnum, quod probari poteſt, ipſi ſarciunto.

§. 248.

§. 248.

Quo gravius eſt tutelæ onus, eo juſtior tutori eſt mercedis alicujus honorariæ exſpectatio. At probo viro recte facti conſciéntia & civilis officii pro præmio eſt, &, ſi impenſas in minorem faciendas fructus patrimonii ejus vix æquant, mercedem aliam laboris ſui tutor non adpetito.

§. 249.

Quodſi rationum computatio adminiſtratam cum fructu a tutore rem minoris & compendia adventitia facta demonſtret, aut ſi minor in certa aliqua vitæ conditione & conveniente ſtatu conſtituatur; tum quidem judex pro rei ratione præmium tutori decernere ex officio poterit, quod tamen viceſimam fructuum non excedat, & ſummum florenos quatuor mille annuos exæquet.

§. 250.

Si tutori præmium nullum a judice decretum ſit, tutor illud intra tres annos petito: ſi tutor aut minoris cognati decretum a judice præmium vel labori præſtito, vel rei minoris minus reſpondere credant; tutori ſpatio dierum quatuordecim, cognatis annum unum poſt comprobatos & expeditos rationum calculos judicem ſuperiorem adire fas eſto.

§. 251.

Perſonis, qui rebus ipſi ſuis & juribus ſupereſſe nequeunt, ſi patriæ aut tutoriæ poteſtati locus non ſit, judex curatorem vel patronum duito.

§. 252.

Perſonæ hujus generis ſunt minores, quibus in alia provincia res immobilis eſt, majores, qui mente capti aut hebetes ſunt, prodigi declarati, embryones ſeu naſcituri, aliquando & ſurdi & muti, & abſentes.

§. 253.

§. 253.

Mente captus & hebes ingenio habetur is, quem medici experti talem esse declarant; prodigus ex officio a judice edicitur, qui patrimonium suum stulte & perdite consumit, aere alieno se obruit, & pecunias damnosis conditionibus mutuas conquirit.

§. 254.

Surdi & muti, si ingenio simul imbecilli sint, sub perpetua tutela sunto; si post annum aetatis vicesimum quartum habiles sint rei gerendae suae, invitis ipsis curator non duitor; judicem non nisi cum patrono seu advocato adeunto.

§. 255.

Absenti & ignoto curator datur, si relicto nullo rei suo patrono vel procuratore jus suum periclitetur, aut alienum impediatur. Si domicilium absentis notum sit; curator ipsum de statu rei caussaeve suae edoceto, rem caussamve, si alia ra-

tione nulla cautum ſit, uti minoris procurato.

§. 256.

Reſpectu illorum, qui naſci ſperantur, aut poſteris futuris, aut ventri curator datur, cui incumbit providere, ne deſtinata aliqua poſteritati hæreditas imminuatur, aut jus ullum foetui, quod edito pertineret, perimatur.

§. 257.

Lex hoc in caſu foetui, non ob foetum alteri patrocinatur. Quare embryo mortuus editus ratione juris ſui non conceptus eſſe cenſetur.

§. 258.

Intercedente inter parentes & minorem, tutorem & pupillum re aliqua cauſſave, minori pupillove curator ſingularis in rem cauſſamve a judice quæratur, quod parentes & tutor ſua ipſi in re cauſſave conſilium & conſenſum dare nullum poſſunt.

§. 259.

§. 259.

Naſcente vel nata inter duos pluresve unius ejusdemque tutoris pupillos lite, tutor nullius perſonam gerito; judex ab eo quæſitus ſingulis pupillis curatorem proprium duito.

§. 260.

Judex, cui pertinet tutorem nominare, jure & in ordine eadem cum cura & lege curatorem nominato. Quodſi res negotiumve ad aliud forum pertinens adminiſtranda ſit, forum illud curatorem rei negotiive deſignato.

§. 261.

Inſtructus a rebus omnibus, ad ſuſcipiendam tutelam neceſſariis, curatelæ etiam idoneus eſt; atqui fieri poteſt, ut, qui domicilii in aliena provincia conſtituti cauſſa, aut ob diverſam religionem a tutela arcetur, curatela tamen eidem demandetur.

§. 262.

Curatorum & tutorum idem æqua vice jus eſt, eadem obligatio. Ceſſat curatela ceſſante negotio vel re curatori concredita, aut ſublatis cauſſis, quæ curando in adminiſtranda re ſua offecerant.

§. 263.

An mente captus & imbecillus ad ſanitatis & rationis uſum redierit? teſtimoniis peritorum medicorum: an prodigus frugi factus ſit? experientia duorum vel trium annorum comprobandum eſt.

§. 264.

Siquis juſtis & ipſa lege finitis cauſſis publicam mortis declarationem abſentis alicujus petat, judex ante omnia abſenti curatorem duito; abſentem per annum integrum, comminando mortis declarationem, edicto publico citato, ni compareat, aut vitam & domicilium oſtendat, mortuum declarato.

§. 265.

§. 265.

Qua die mortis declaratio effectum ſuum legitimum & civilem ſortitur, ea die abſens mortuus eſſe cenſetur; neque hæc mortis declaratio probationem excludit, abſentem ante vel poſt deceſſiſſe, aut vivere adhucdum. Quodſi talis probatio perficiatur: is qui publica declaratione mortis inbona mortui immiſſus fuerit, uti poſſeſſor bonæ fidei habebitur.

CAPUT VI.

De
jure perſonarum, qui vel domini vel domeſtici & famuli ſunt.

§. 266.

Unicuique fere familiæ perſonis opus eſt domeſticis, qui mercede conducti functiones & miniſteria in re domeſtica neceſſaria obeant; & qualiscunque demum talis miniſterii & functionum diverſitas ſit, domeſticorum omnium idem eſt officium, ut attenti, diligentes, fidi, & familiæ, cui inſerviunt, pro viribus utiles ſint.

§. 267.

§. 267.

Patris familias ſtricte eſt domeſticorum delectus; at jure præſumitur matri familias perſonarum muliebris ſexus delectum demandari.

§. 268.

Miniſterium ambiens ſine legitima miſſionis teſſera prioris domini aut ſine juſto teſtimonio morum & vitæ in aliam familiam non adſumitor.

§. 269.

Miſſionis literas, ſeu teſtimonium domeſtici adſumti dominus adſervato; domeſtico depoſiti teſtimonii chirographum ſive apocham tradito.

§. 270.

Qui famulo teſtimonium falſum ſciens dat, aut ſuſpectum in familiam culpa ſua inſinuat, politiæ tribunali obnoxius eſto, & damnum inde enatum omne rependito.

§. 271.

Qui sui juris non sunt, sine consensu illius, sub cujus potestate sunt, servitio addicere se non possunt; qui consensus in tempus a lege finitum datus praesumitur, si minor sub patria vel tutoris potestate constitutus, aut femina, quae in matrimonio est, ob paupertatem serviat.

§. 272.

Pactum cum domestico ore nuncupatum equidem ratum est, salvo tamen jure alterius seu domini seu ministerium ambientis, qui jus illud vel scripto contractu, vel data acceptaque arrha confirmaverit.

§. 273.

Arrha in partem futurae mercedis datur.

§. 274.

Qui famulum inculpabilem arrha conductum contra datam fidem in familiam non adsumit, arrham perdit: qui arrha conductus servitium propria culpa dese-

rit,

rit, duplum arrhæ rependito; uterque, dominus & famulus vice verſa damnum inde datum & probatum reſtituito.

§. 275.

Miniſterii genus, tempus, merces pacto inter dominum & domeſticum finitur, ſed pacto inliciti & inlegitimi ſtipulari nihil poteſt.

§. 276.

In ditionibus auſtriacis nec ſervi capite diminuti, nec adſcriptitii ſeu adſcripta glebæ mancipia ſunto.

§. 277.

Ubi jura & obligationes dominorum & domeſticorum nec pacto, nec ſcripta & domeſtico tradita præſtandi famulatus conditione ſeu ſtipulatione definiuntur, lex eſt, ut famuli & reliquum omne domus famulitium ad præſtanda omnia juſta domi rurique opera pro viribus obligentur.

§. 278.

Tirones, alumni, & cujuscunque generis ſeu nominis adjutores opificum, negotiatorum, artificum ad miniſteria non obligantur exercitio opificii, negotii, artis, aut ſtatutis tribus & communionis ſuæ contraria.

§. 279.

Domeſtici honeſtiores ſeu ii, qui penitiori domini famulatui aut comitatui deſtinantur, & reliquum domus famulitium pro ratione muneris regunt, ad obeunda quæcunque domus officia muneri ſuo non contraria obligantur.

§. 280.

Quæ educatori, medico & chirurgo domeſtico, capellano, ſecretario, oeconomo, rationario & ceteris familiæ miniſtris, qui ingenio magis quam manu ſerviunt, munia in re familiari incumbant, uniuscujusque munere & officio definitur.

§. 281.

Unusquisque in miniſterio, ſi res & uſus exigat, vicem alterius ſervata muneris ratione obire debet: obligantur domini, ut miniſtris ſuis tempus rei divinae, & valetudini procurandae neceſſarium indulgeant.

§. 282.

Qui domeſticum ſe fecerit pacta antea cum domino mercede nulla, ſive ea victus, habitatio, veſtitus, pecunia aut quaevis alia res ſit; is mercedem aliam nullam, quam quae anteceſſori ſuo data fuerit, aut quae aequali ſuo eodem in loco vulgo datur, petere jure poteſt; quin minima conſuetae mercedis portione contentus abito.

§. 283.

Tempus famulitii pacto, aut ipſius natura famulitii non finitum lex ruri in annum prorogat, in urbe ad hebdomadas ſex reducit. Damnum intempeſtiva

miſſione vel famulitii derelictione datum, qui dedit, luito.

§. 284.

Qui pactum famulitium ultra ſtipulatam aut lege conſtitutam diem continuare nolit, dominus ſeu ſerviens, ſi in urbe ſit, pacto quatuor hebdomadas, ſi ruri, ſex menſes antea renunciato.

§. 285.

Nonnunquam domino & ſervienti jus eſt, renunciationem ſpatio dierum quatuordecim finire. Domino jus eſt, ſi ſerviens ad ſerviendum ineptus reperiatur; ſi aleæ, vino deditus, vagus & curſitator, pravi moris & perverſæ vitæ ſit; ſi igne & lumine improvide utatur, vel æqualium inſociabilis & altercator ſit: ancilla gravida ſi ſit, quatuordecim a miſſione nunciata diebus emittitor, non neglecta provida futuri partus cura.

§. 286.

Domesticus non accepta tempore suo aut saltem quarto decimo post constitutum diem mercede, vel sine caussa dure & ignominiose habitus quatuordecim a petita missione diebus mittitor.

§. 287.

Famulus ruri matrimonium contracturus aut rem familiarem & larem proprium instituturus sexta hebdomade a missione petita emittitor.

§. 288.

E vestigio & sine ulla missionis nunciatione domesticum dominus mittito, qui cum falsa missionis tessera aut falso alio testimonio in familiam irrepserit; qui domesticam quietem perturbat; dominum offendit, domino obtrectatur, calumniatur, qui aequales suos depravat, aut contrectator est.

§. 289.

Domesticum ægrotum dominus ideo sine justa nunciatione ne mittito; saltem pro ratione emeriti stipendii atque aliarum etiam domestici facultatum omni ope juvato. Si facultates famuli non sufficiant, domino res familiaris curta, aut periculum contagii sit, publicam ægrotorum curam dominus implorato.

§. 290.

Domestico jus est non petita missione exire, si gravi in morbo aliud diverticulum præoptet, si victu & mercede condicta frustretur, si injuriis gravibus aut corruptelæ obnoxius sit, si falso delicti insimuletur, si jubeatur peregre abire, aut a loco, ubi servit, ultra præfinitum servitii tempus abesse.

§. 291.

Reprehensio, objurgatio, labor continuus, interdictum per aliquod dies non

exe-

exeundi famulorum diſciplina et cenſura ſunt, neque perinde actio illis ea de re in domiuum datur aut jus, ante conſtitutam diem famulitio exeundi.

§. 292.

Die non ante præſtituta ſolvendæ mercedis, domeſtico, ſi ſe ipſum alat, finito menſe, ſecus in ſingulos tres menſes, omni caſu, in ipſum miſſionis diem computata merces ſolvitor. Ut omnis ambiguitas tollatur, data domeſtico merces ſcriptæ ſtipulationis dominum inter & domeſticum teſſeræ, quo die datur, adſcribitor.

§. 293.

Strenam & alia dona ſervienti data dominus in partem mercedis non imputato.

§. 294.

Veſtis ſervilis pars eſt ſtipendii. Famulo poſt tres famulitii menſes tibialia & calcei, & poſt annum exactum, quid-

quid

quid ad quotidianum vestitum pertinet, cedit. In pellicea, pallia, epitogia, & similia famulo jus non esto.

§. 295.

Domesticus, cujus fidei res domestica, vel rei domesticæ pars gerenda demandata fuerit, omni tempore, præsertim ante missionem rationem gestæ rei reddito; si cui dominus custodiendas vel servandas res tradiderit, integras domesticus restituito, damnum culpa sua datum rependito. Enata vel in gerenda vel in restituenda re dominum inter & domesticum controversia, domino liberum esto, stipendium ei debitum periculo suo detinere, &, si periculum sit, arrestum personæ petere. Quod ad rationes reddendas attinet, ex præscripto codicis judiciarii agito.

§. 296.

Dominus domesticum sibi adsciscit utilitatis ex homine speratæ caussa; confe-

qui-

quitur, ut pactum morte ſervientis finiatur, neque hæredi ejus aliud jus niſi in emeritum ſtipendium ſit. Domeſticus facultatem familiæ, cui inſervit, metitur, atque inde pactum initum etiam a morte domini durat, usque dum renuncietur.

§. 297.

Domeſtico legitime exituro ſeu mittendo dominus teſtimonium morum & vitæ fide ſua dato; ſi domeſticus teſtimonio contentus non ſit, liberum eſt ei a magiſtratu politiæ, qui proximus ſibi fuerit, aliud & melius teſtimonium ſpatio dierum quatuordecim petere.

§. 298.

Actio inter dominum & domeſticum controverſa ob pactum ſervitium enata ſpatio triginta dierum a finito ſervitio coram judice inſtituitor. Prætermiſſo hoc tempore ambo præcluduntor.

§. 299.

§. 299.

Si turbata domus & familiæ quies & œconomia ſtatim reſtituenda: domini et ſervientis ſeparatio deproperanda: peccata gravius caſtiganda, aut vero delicta punienda ſint; pœnale judicium poſtremo hoc caſu, de reliquis magiſtratus politiæ compellantor.